

**Dissertatio medica inauguralis de febre putrida maligna ... / Eruditorum
exameni submittit Timotheus Kirby.**

Contributors

Kirby, Timothy.
Keessel, D. G. van der 1738-1816.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Jacobum Murray, 1773.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hw9gmc9n>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

FEBRE PUTRIDA
MALIGNA.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30790001>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRE PUTRIDA
MALIGNA,

QUAM

FAVENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,
DIONYSII GODEFRIDI VAN DER KESSEL,
J. U. D. ET PROFESSORIS JUR. CIV. ORDINARIJ;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*, &
Nobilissima FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis,
rite ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini submittit


TIMOTHEUS KIRBY,
HIBERNUS.

Societat. Med-Phys. & Med. Edinenf. Sodal.

Ad diem xx. *Decembris* MDCCLXXIII. *Hora Undecima* L. S.

*Sed hæc & his similia, utcumque animadversa, aut existimata erunt,
haud in magno equidem ponam discrimine.*

TITUS LIVIUS.


LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JACOBUM MURRAY, 1773.

Har

Watkinson Esq.
from his friend & kins
serv. The Author

Neque interim magnopere urgebit ista quaestio; Quæ de-
mum morborum medela administrabitur, dum causæ ipso-
rum nos latent? Quandoquidem, non causarum, sed me-
thodi convenientis, atque experientiae comprobatae cognitio-
ne, affectuum plurimorum curatio absolvitur.

SYDENHAM. de Febre Pestilentiali.

VIRIS OPTIMIS,
AMICIS INTEGRRIMIS;
RICHARDO ET CHRISTOPHORO
MUSGRAVE,

ARMIGERIS, GRATISSIMI ANIMI, CUM OB AMI-
CITIAM, QUA DIGNATI SUNT; TUM OB MUL-
TA BENEFICIA IN SE, MANIBUS HAUD PAR-
CIS ULTRO COLLATA, MONUMENTUM.

NEC NON,

V I R O

PRÆSTANTISSIMO

RICHARDO LONGFIELD,

ARMIGERO, DE CASTLE-MARY IN COMITATU
CORCAGIENSI, UNI, EX ILLUSTRISSIMO
SENATORUM ORDINE APUD HIBER-
NIAM INCORRUPTISSIMO,

PROPTER PLURIMAS ANIMI DOTES EXIMIAS, MO-
RUMQUE SUAVITATEM, ET ELEGANTIAM,
LONGE, LATEQUE CONSPICUO,
REVERENTIÆ SUMMÆ TESTIMONIUM.

NEC NON,

V I R O

AMICISSIMO, PLURIMUMQUE COLENDO,

JOHANNI KIELY,

DE TIERCULLEN IN AGRO WATERFORDIÆ,
ARMIGERO,

NULLI NON,

OB HUMANITATEM, PROBITATEM, ET MORUM
CANDOREM INSIGNES, CARISSIMO,
AMICITIÆ ET EXISTIMATIONIS DOCUMENTUM,
ETIAMSI PEREXIGUUM.

ITEM.

ITEMQUE

V I R O

CELEBERRIMO, ERUDITISSIMO;

ARTISQUE SALUTIFERÆ PERITIA,
NEMINI SECUNDO,

FR. BERN. ALBINO,

A. L. M. PHILOSOPHIÆ, ET MEDICINÆ DOCTORI;
ANATOMES, ET CHIRURGIAE IN INCLYTISSIMA
UNIVERSITATE LUGDUNENSI BATAVO-
RUM, PROFESSORI ORDINARIO,

VENERATIONIS MAXIMÆ SPECIMEN PARVULUM.

DENIQUE,


FRATRI DILECTISSIMO

GULIELMO KIRBY.


AMORIS, ET BENEVOLENTIÆ
PIGNUS.

*Hasce laboris studiosi, primitias,
cum maxima observantia, &
omni, quo par est, ob-
sequio, Dicatas
veluit.*

TIMOTHEUS KIRBY.



PROOEMIUM.

 *x* aegritudinibus & ærumnis multifariis, & propemodum infinitis, quibus indies vexatur Genus humanum, non mediocriter eminet, & Medici gnari opem depostulat, "Morbis" de quo, nobis, morem gerentibus Legibus Academicis, & Specimen studiorum edituris, tractatulum huncce, qualem qualem, in medium proferre Sententia tandem sedit. Nam non alius ex innumera fere morborum cohorte plurius occurrit, quo decumbens æger aut in majori vitæ periculo versatur, aut qui æque truculentis, & si non ei, tempestivo & solerti consilio occurratur, tam cito funestis symptomatibus stipatur. Non vero nos latet, immo bene novimus, quam arduum & fortasse viribus nostris prorsus iniquum munus exequendum suscepimus; Sed si Lector Benevolus secum reputare voluerit, in quam difficili & nullis fere limitibus cir-

circumscribenda materia nosmet implicuerimus; idque cum in Praxi medica parum adhuc versati sumus; haud nobis aberit spes, quin, si quædam minus perpolita, temere, minus atque crude conscripta, passim offenderit, nos pro illius Candore & Humanitate fore condonandos; illumque hæc, qualiacunque, bono animo interpretaturum. Nobis interea, nisi collegisse, candide & lubenter profiteri non erubescantibus, utpote qui alioquin in Majorum sudores, & fidam Præceptorum doctrinam, ingrati essemus, saltem in magnis laborasse sufficiat.






DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

FEBRE PUTRIDA MALIGNA.

DEFINITIO.

„ mnis (inquit CICERO (a)) quæ a ra-
 „ tione suscipitur de re aliqua Institutio,
 „ a definitione debet proficisci, ut in-
 „ telligatur, quid sit id, de quo disputa-
 „ tur. ” Itaque morbum jam adgrediendum interea dis-
 „ quisitione de loco ejus idoneo apud nosologiam pror-
 „ fus ex industria prætermissa, sic definire placitum.
 „ Febris synochæ speciem initio præ se ferens, exin-
 „ de per decursum typhodes, sæpiusque finem versus
 „ præcipue variis summæ & universæ putredinis indi-
 „ ciis stipata ”. Apud varios auctores, varia nomi-

na

(a) De Offic. Cap. II.

na fortitus est hicce morbus: Ex hisce, nobis, Cl. HUXHAMI, non in hoc tantum, sed in omnibus fere, quæ ad hunc morbum pertineant, vestigia prementibus, maxime arridet nomen in Libro, proculdubio, præstantissimo de febribus ab eo nuncupatum. Ideoque sub titulo, „ Febris putridæ, malignæ ”, cæterorum omnium quibus ea celebratur nominum ne minimam rationem habentes, etiamque nostrum bonum otium in re tam futili prorsus conterere nolentes, ejusdem Historiam pro viribus enarrare conabimur.

HISTORIA MORBI.

Instante hoc morbo, in paucos dies ante invasionem corripitur æger magna animi dejectione, virium prostratione subita, capitis gravitate, ut & inertia totius corporis insolita, artuum, lumborumque dolore, & oris impuritate matutina. Appetitus illi fere nullus & somnus interruptus: Interdum vero proclamatur morbi adventum solius capitis dolor atrocissimus (b). Hæc sunt, quæ præcipue, observatu dignissima, ante ejusdem invasionem plenam occurrunt.

Invadit vero in universum multo vehementius quam Febris nervosa. Rigores, si qui fiunt, majores in illa, quam in hac; & calores quoque magis acuti, & diutius permanentes; quamvis, in initio, subiti tantum, fugaces, ac remittentes, esse videantur. Pulsus etiam magis tensus ac durus; at plerumque citus ac parvus; aliquando, prout videretur, tardus ac

re-

(b) Tissot, *Avis au peuple*; Sect. 237. pag. 156.

regularis; deinde tremulus ac inæqualis. Cephalalgia, vertigo, nausea, nec minus ab accessione prima vehementiores ingruunt. Sentitur interdum in singulis, vel utrisque temporibus, nec non supra alterum vel utrumque supercilium, sæpe ad oculorum orbitam imam, dolor fixus, immanis. In primis symptomatibus, talia sese produnt: Summa virium prostratio ac debilitas; Anxietas, animi dejectio, adeo uti pessima quævis ominetur æger: Lassitudo, manuum tremor magnus, cephalalgia vehemens, vertigo atque nausea. Aliquando, præsertim in regionibus sub sole calidiore jacentibus, vomitus biliosus, superciliorum dolor; oculi, pleni, graves, colore flavescentes, tumidi & sæpius inflammati, cernuntur. Vultûs vigor intercedit; præterque solitum lugubris, & quasi inflatus, insigniter pallescit. Temporum arteriæ, utplurimum, fortiter micant; quin & adest aurium tinnitus, valde molestus. Sitis adhuc nulla vel parva; lingua albescens & humida; Urina plerisque cruda, pallida & vapidâ. Sanguis, vena percussa, crusta coriacea coopertus, sub hoc morbi fladio, sæpius offenditur.

Morbo progrediente, symptomata quælibet exacerbantur. Nunc vis nervea magis magisque pessundatur; & vires imminuuntur. Animo prosternitur æger; omnisque salutis futuræ spes abjicitur. Hæcque simul, nulla evacuatione adhuc facta, cum languore ac debilitate summis valde inopinato superveniunt; idque mirum cum interea pulsus aliquando satis fortis esse videatur. Respiratio, ut plurimum, laboriosa, & cum singultu

peragitur. Ardet, cum graveolentia, spiritus. Lingua, quæ, ineunte febre, prius albescebat, in dies magis ac magis atra devenit; & modo, atra quasi bulla summam ejus occupante, quasi lucide livescit; modo nigerrima per multos dies continuos perstat. Sub morbi acmen vero, in universum, valde arida, rigida & nigra, seu colore quodam fit atro, malum punicum æmulante cum scissuris profundis. Hinc evenit uti miser articulate aut plane loqui nequeat. Caveat vero Medicus, ne hoc ex quavis linguæ affectione paralytica provenire falso conjiceret. (c) Vox plerisque debilis, submissa, & indistincta, effertur. Sæpissime, sub hoc morbi stadium, arteriarum carotidum vibratio fortis accedit; cum interea pulsus ad carpum parvus, immo tardus, tactu sentitur; quod quidem delirium instare indicat, & plerumque ex cerebri obstructione quadam, parum levi primordium trahit (d). Sitis quoque nunc fere inexplebilis ægros sollicitat. Nihilominus nullum non potûs genus, prout ingratum, averfantur. Omne quod bibitur vel amarorem sapit, vel nauseam parit. Alias vero, fane mirum, quamvis iis os & lingua tunc maxime sordeant & arescant, quod de nulla siti prorsus conquerantur. Hoc pessimi quidem ominis signum habetur, & a phrenitide vel comate mox excipitur (e). Labia dentesque, sub morbi statum præcipue, sordibus perquam nigris ac tenacibus obliniuntur. Cutis attactu primo non præter solitum calefcit. Si vero eam digito longius explora-

ve-

(c) Gregor. prælect. (d) Huxham. Lib. de feb. (e) Idem.

veris, calor quidam, quasi pungens atque mordax at-
trectatione sentitur (*f*). Eadem plerumque arefcit.
Alvus, ut plurimum, prout varia cæli temperies ena-
fcitur, modo foluta, modo adftriâta deprehenditur (*g*).
Pulfûs frequentia, proinde ac ejusdem vires imminu-
untur, fuccrefcit; ni delirium vel debilitas insignis
accedant; quæ, fi quidem fiunt, tardus evadit. As-
fiduæ urgent vigiliæ; nec ullus adefl fomnus reficiens.

Delirium plerumque, hoc morbo decumbentibus,
ut in Phreniticis, ferociffimum intervenit. Nonnullos
vero ftupor quidam cum animi perturbatione, potius
afficit. Hæc ex ægri vultu infueto & quasi pertonnito
facilius innotefcunt. Quàmvis in rem nullam revera
mente fit occupatus, adftantibus tamen, ab illo non
mul-

(*f*) Galenus, de peculiari caloris in febribus autumnalibus re-
mittentibus connati qualitate fermonem habens, idem optime mo-
nuit, dicens; „Febrium quæ a putredine oriuntur, maximum in-
„dicium eft mordacitas & acrimonia caloris; quæ perinde ac
„fumus nares & oculos, fic ipfa erodere tactum videtur —
„Non ftatim ea qualitas, admota manu, difcernitur, at per mo-
„ram prædicta caliditatis fpecies effertur ex penitioribus partibus.”

Lacun. Galen. Epitom. de Differ. Feb. lib. I. cap. VII.

Pariterque obfervantiff. Pringelius, inquit enim; „In the be-
„ginning the heat is moderate; and in the advanced ftate, in
„bad cafes, on firft touching the skin, it feems inconfidera-
„ble, or even below the natural: but upon feeling the pulse for
„fome time, I have been fenfible of an uncommon ardor, lea-
„ving an unpleafant fenfation on my fingers for a few minu-
tes after.

Obfervation. pag. 255.

(*g*) Gregor. prælect.

multum abludit, qui alte & perattente quiddam secum meditatur (*h*). Manuum tremor validius intenditur; idque cum interea nullus, stricte dictus, tendinum subsultus intersit (*i*). Abdomen modo molle, modo vero valde durum, tensumque. Urina, morbo ineunte, cruda, pallida, vapida; provectiore, rubicundior, & talis quæ merum lixivium, vel urinam citrinam sanguine tinctam, referat, evadit; & ea quoque per aliquot dies nihil ad vasis fundum deponit; ne quidem nubeculam ostentat; paulatim vero, magis atra fit, & cerevisiam vapidam, male coloratam, refert, graveoletque. Interdum prope nigra, colore & odore gravissimis (*k*). Alvi fæces etiam, sub statum præsertim, odorem intolerabilem plerumque spirant, virescunt, vel nigrescunt, & sæpe cum gravibus ventris torminibus, & sanguinis ejectamentis, exulatum abeunt. Perpaucos hoc morbo correptos cernere licuit, qui cum quadam quasi lumbagine, vel dorso, lumborumque dolore, non tentarentur; eos saltem semper fere vexabant lassitudo, & exulceratio per totum corpus diffusa; nec non sæpius artuum, interdum etiam regionis thoracicæ aut hypochondriacæ dextræ, vel ipsius abdominis, dolores erratici rheumaticos, pleuriticos, vel colicos mentientes, parumque leves ingruunt. Iisdem etiam aliquando vomitus, cum ardore

(*h*) Tissot, *Avis au peuple*. Sect. 245. pag. 162.

(*i*) Gregor. *Prælect.*

(*k*) Morbo autem ad exitum faustum jam properante turbida, tamen absque sedimento conspicitur.

Pringel. *Observat.* pag. 255.

dore circa stomachi ventriculum, pondere, dolore, singultuque molestissimo comitantibus, incidit. Quod autem rejicitur, nigri, porracei coloris, ut plurimum, odorem fætidissimum spirat. Sanguis vero nunc, venæsectione eductus, contra quod in initio observare licuit, nulla crusta coriacea coopertus, at prorsus dissolutus, immo aliquando nigrescens cum sedimento fuliginem referente, conspicitur (1).

Gradu tertio ultimoque nunc ingruente, omnia in deteriora ruunt; præsertim vero, varia summæ & universæ putredinis indicia celeriter ingravescent. Spiritus, supra quod credibile vel tolerabile, graveolescit. Sudor etiam, & Urina, & Alvi excretiones, vehementer fætent. Sanguis e naso, gingivisque, subinde guttatim stillat; idemque venæsectione jam facta, secius ac ineunte morbo, ut antea adnotavimus, crusta coriacea prorsus vacat; immo, si, donec defervescat, in vas seponatur, brevi tempore putridus omnino deveniet; aliquando etiam e vena adhuc fluens fædum odorem spirat. Nunc quoque petechiæ seu maculæ nigræ, lividæ, fuscæ, vel virides; & interdum eruptiones longe pejoris ominis, magnæ, lividæ, vel coloris atro-virentis, vibices nuncupatæ sese in conspectum produnt. Hæ vero perraro, nisi morte imminente, cernuntur. Petechiarum eruptionem intra nullum certum tempus definire possumus: interdum circa quartum vel quintum diem sese proferunt: aliquando vero nonnisi ad undecimum vel

(1) Huxham. *lib. de feb. & Home Princip. med.* pag. 82.

vel quidem ferius; circiter undecimum vel decimum quartum diem, sudoribus largis obortis, eas evanescentes excipiunt, pustulæ albescentes, miliares dictæ, magna copia erumpentes. Petechiæ primo exortu fere confluunt, & cutem universam rubore quodam conspergunt; pectus vero, dorsum, lumbosque potissimum obsident. Plus, minus copiosæ, & varii subinde coloris; in initio subrubicundæ, jam lividæ vel purpureæ: deinde nigræ, conspiciuntur. Quo vero magis in nigrum seu violaceum colorem vergunt, eo peiores (*m*). Aliquando etiam in hisce febribus vidisse contigit quandam quasi cutis efflorescentiam, illi quæ in rubeola occurrit persimilem; nisi quod illi color magis in atrum vergens & luridus adsit; adeo uti cutis, præcipue thoracis, marmoratam quasi & variegatam speciem præ se ferat (*n*). Jamque, natura deficiente, & ægri viribus hoc morbo funestissimo infractis, in præcipiti stat vita. Ne per minimum temporis intervallum a summo cruciatu miser expers habetur. Mente plane delirat; excrementa eo inscio involuntarie elabuntur. Auxilium omne adstantium recusat, & secum indefinenter mussitat. Arteriarum ictus adeo citi, parvi, & irregulares evadunt, ut numerari, nedum distingui, immo vix percipi, possint. Semper, in tergum decumbens, sensim ad imum lecti delapsus subsidet, & floccos carpit. Convulsiones, præsertim faciei, cum sudore frigido,

su-

(*m*) Huxham *de feb.* & Pringel. *observat.*

(*n*) Huxham *loco supra citato.*

superveniunt. Oculi obscurantur; & pectus, quasi nimia plenitudine distentum, extrorsum prominet (o). Summo cum molimine jam respirat. Supra quod aut credibile, aut vix ullis verbis enarrabile, discruciat. Donec natura deficiens, una cum spiritu, miserum, superis jam gravem, plane destituit, & morti, priori miseriarum ac ærumnarum requieti, conclamatum tradit.

Harum febrium duratio varia prorsus & incerta. Modo intra diem septimum, & decimum quartum ab insultu; aliquando non ante vicesimum primum judicantur. Alias vero in complures septimanas protrahuntur. Hoc equidem ex ægri habitu, aut idiosyncrasia, vel contagionis indole plus minus virulenta, aërisve circumambientis malignitate vel benignitate, ceu demum methodo curatoria magnopere pendeat. Sin aër vero ultimam malignitatis acmen attigerit, adeo cito ac vehementer decurrunt, ut intra spatium quinque vel sex dierum miseri aut sanitate læta fruuntur, aut morte illætabili obruuntur. (p) In iisdem haud fecius ac in ceteris ejusmodi morbis, a quo tempore pulsus deficere incipit, omnia symptomata noctem versus intenduntur; adeo uti dehinc afflicti semper paroxysmos vespertinos subire conspiciuntur. (q) Quæ suboriuntur eruptiones, quoniam non ullum ut plurimum levamen secum adferre notantur, symptomati-

cæ

(o) Tissot *Avis au peuple*. Sect. 238. pag. 157.

(p) Pringel. *Observat.*

(q) Gregor. *Prælect.*

cæ potius quam criticæ habendæ. Non perpetuo sese prout comites huic morbo præbent petechiæ, quippe quæ originem suam a causis tum a se invicem, uti etiam ab ipso morbo alienis sæpe sæpius ducant; etenim illas vel a remediorum nimis calefacientium & exstimulantium, regiminisve calidioris usu intempestivo, vel etiam ab evacuationibus justo largioribus, seu medicaminum ex genere cardiaco, & dietæ analepticæ defectione pluries scaturiginem habuisse observatum. Ab effusione materiei cujusdam morbidæ in telæ cellulosæ spatiola proxime gigni verosimilimum. Aliquando, immo sæpenumero non nisi post mortem in lucem eduntur. (r) Facilius a ceteris omnibus maculis, quæ aliis in morbis se conspectui præbent discernantur, ex eo quod, uti notat Pringel. (s), non unquam extra cutis superficiem eminent. Hæ febres diu excurrentes, hæcticæ, remittentis, vel etiam intermittentis typum induere aliquando solent, sæpiusque suppuratione glandularum parotidum vel axillarum judicatæ discedunt. Convalescentium plurimi de artuum dolore & somni fuga conqueruntur: omnes fere debilitatem maximam, & capitis quasi perturbationem quandam una cum vertigine, auriumque tintitu longum experiuntur. (t)

D I A.

(r) Gregor. *Prælect.*

(s) *Observat.*

(t) *Idem.*

D I A G N O S I S.

Historia morbi, quantum in nobis fuit, utcunque peracta, ad diagnosin, rem, quis inficias ibit? apprimè medico cognitu perutilem, deinde properamus. Quo vero clarius, & ex ordine munus exequamur, haud ulla alia nobis arridet methodus, æque ac illa, secundum quam progressi, singulos morbos, in quibus, aliquid, eum a nobis tractatum, referens offenditur, & cum quibus ideo hunc confundendi aleam aliquando subeamus, seorsim consideremus, & in quibusnam tandem discrepant, sedulo & enucleate perpendamus. Sed ad rem.

Quoniam vero, nostra saltem sententia, nemo, quantuluscunque in morborum historia, at præcipue in re diagnostica versatus, ne minimum subire periculum potest, quo minus febrem putridam malignam a cæteris omnibus morbis, præter febrem nervosam atque inflammatoriam, discernat; omnino supervacaneum foret, uti nobis videtur, si quidem, in re tam clara, oleum, operamve impenderemus. Quapropter opera dedita, de illis omni consideratione prætermissa, satis esse ducemus, si ex animi sententia, & dilucide, discrimina primaria, febrem inter, de qua differimus, & alterutram harum quas supra commemoravimus, sigillatim exposuisse valeamus.

FEBRIS INFLAMMATORIA.

Haud multis verbis opus erit enarrasse, quibusnam

tandem a sese discrepent febris inflammatoria atque putrida. Earum vero discrimina satis lucide, quæ sequuntur, rite perpendenti, patebunt.

I. Pulsus rationem in utraque.

Ictus arteriarum vero, in febre inflammatoria fortes, duri, validique; cum in putrida, parvi, molles, & debiles, esse notantur.

II. Venæsectionis effectus diversos in singulis.

Si Venæsectio in febre putrida instituatur, percussus arteriarum, ut plurimum, inde mirifice debilitantur & retardantur; eandem vero iterum celebratam sequitur summa & subita virium prostratio, & sæpissime mala nullo modo postea reparabilia ex ea nascuntur; quibus omnia contraria in febre inflammatoria reperiuntur.

III. Sanguinis ipsius, venæsectione in utrisque e ducti, faciem & qualitatem valde diversas.

Namque sanguis hominis, in febre inflammatoria decumbentis, elicitus, fortiter concreescens & crusta tenaci, glutinosa, coopertus nunquam non fere offenditur; cum idem, in putrida, parum aut leviter cohærens, sæpe prorsus dissolutus, & sædius olens ut plurimum observatur.

IV. Petechias, vibices, & alia summæ putredinis indicia, cum ceteris, quæ febrem putridam vulgo comitantur.

Qualia, nempe, spiritus graveolentia, oris fætor, sudores sædius olentes, ut & alvi dejectiones putridæ, copiosæ, involuntarie dilabentes; quibus ne quidquam consimile in febre inflammatoria deprehenditur.

V. Ca-

V. Calorem in utraque febre connatum.

Ab hoc vero, respectu ad ejus qualitatem habito, maximum inter febrem putridam & inflammatoriam discrimen arcessimus. Nam, in hac, licet statim, primo attactu, prout videretur magnus fatis calor percipiatur; idem tamen a tangentium digiti calore vincitur; & paulo post, minor offenditur: In illa vero, quamvis, primo, cutis, non præter solitum, tangentis digito calefcere videatur; eam tamen attactu diutius exploranti, quasi omni temporis momento, calor succrescit; ejusque digitum pungit, mordetque, ac si de profundo corporis calor emerferit. Hocque maximum febrium putridarum indicium GALENUS posuit. „Nihil enim, inquit, suave, nihil moderatum, neque Ephemeris simile habet, sed quemadmodum optimi ante nos dixerunt Medici, mordax potius quodammodo est, ut lædat, mordeatque tactum, veluti fumus oculos ac nares (u)”. Neque HIPPOCRATEM ipsum latuit qualitas, caloris in hisce febribus, peculiaris, dicentem quippe, „Febres, hæc quidem manui mordaces, illæ vero mites; quædam non mordaces, incrementes vero, nonnullæ acutæ, sed ab ipsa manu devictæ (v)”. &c.

VI. Denique, non leve discrimen, febrem inter quam tractamus, & inflammatoriam, petitur ex causis in utraque prædisponentibus ac remotis, nec non hominibus unicuique opportunis, studiose perpensis.

Sed

(u) *De Feb. differ.* Lib. 1. Cap. 9.

(v) *Ibid.* Cap. 1.

Sed non operæ pretium esset, ut in hisce exponendis, & inter sese comparandis, immoraremur, aut laborem, & tempus impenderemus; præsertim cum de hisce singulis, prout in febre putrida proveniunt, mox fusius, ex ordine, differere nobiscum constituimus. (x)

FEBRIS NERVOSA, SIVE TYPHUS.

Aliquanto difficiliora, sed non, uti speramus, insuperabilia prorsus, aggredimur. Hoc ex eo ita provenit, quod, in perplurimis sub initium præsertim, sese mutuo referre videantur febris putrida & nervosa, adeo uti quis fere dicat, illis esse symptomata permulta communia. Quin exinde proculdubio fuit, quod Vir eruditissimus, Sauvagesius, sub genere communi, Typhi nomine designato, utrasque disposuerit. At si nobiscum, Lector Benevolus animum ad sequentia sedulo adverterit, eas alteram ab altera nec minus in hisce singulis, longe discrepare haud secus ac nos clare videbit. Stricte vero quæque percurramus. Sed primo, Typhus invadit haud aliter atque febris putrida, plus minus cum horrore, calore, lassitudine, animi dejectione, cephalalgia, vomitu, nausea, vertigine, turbato pulsuum ordine, spiritu difficili; vultu squalido, & quasi lugubri, urina limpida, linguæ albedine & ceteris.

Hæc

(x) Hactenus dictis perapposite adhuc subjungatur, quod Synochum ex plus minus contagio semper, Synocham vero non unquam ex tali fonte ortum ducere ab omnibus fere concessum. Adde quod etiam a prima utriusque invasione illo laborantes multo magis quam hoc animis dejiciuntur, viribusque prosteruntur.

Hæc sunt, in quibus sub initio præcipue convenire videantur. Unumquodque vero, seorsum intuenti, prout in utraque febre occurrat, ea omnia plane & singulatim differre, protinus in manifesto patebit. Utramque, plus minus, cum horrore, calore, lassitudine, cum ceteris, invadere supra diximus.

I. *PLUS MINUS, CUM HORRORE.*

Horrores vero, prout antea morbi historiam ineuntes, adnotavimus, in febre putrida, quam in typho, vehementiores, sicut & rigores, invalescunt.

II. *CALORE.*

Idem quoque de calore dici potest; quippe qui in illa, multo magis quam in hac, acutus, seu quasi mordax, etiamque diutius permanens inhærescit.

III. *LASSITUDE.*

Lassitudo quidem in utraque febre occurrit. Magnum vero interest inter eam quæ in putrida atque nervosa subvenit. In hac, vix ullus artuum dolor; nulla vero, ut plurimum, lumbago. Contra, in illa, utraque sævissima semper, plus minus, ægrum direxant.

IV. *ANIMI DEJECTIONE.*

In typho, animi aliquantum gravati tantum dejectionum.

ciuntur; & ea decumbentes, per sex vel septem dies, ita affecti, neque multum quasi ægrotant, neque tamen integra valetudine gaudent. Contra, in febre putrida, quamvis evacuatio nulla, nulla etiam humorum prius jactura fuerit, & pulsus satis validi videantur; „ animi dejectio „ tamen subita & magna supervenit.

V. C E P H A L A L G I A.

Hæc quoque, ab ipsa morbi accessione, in illa, quam in hac longe gravior & vehementior incessit. Adde etiam, quod in tempore altero, vel utroque, aut interdum super alterum vel utrumque supercilium, sæpe vero in infima oculorum orbita, dolor maximus incedit: Cum in typho, nonnisi dolor quidam obtusus, a torpore qui a frigore provenire solet, parum abludens, qui etiam in occipite sedem habere consuevit.

VI. N A U S E A, V O M I T U Q U E.

Vomitusetiam in typho; sed neque adeo vehemens, neque frequens, ac in febre putrida occurrit. Nam in hac, cum dolore, ardore, & quasi quodam ponderis sensu, ad stomachi ventriculum, una cum singultu molestissimo, eodemque propemodum assiduo superingruit; quod vero rejicitur, coloris nigri & porracei, fædum odorem spirat. Contra in typho, quamvis, ut plurimum, ægrotantes nauseant; nihil tamen, nisi pituitam insipidam, eamque parva tantum copia, ore rejectant.

VII. *TURBATO PULSUUM ORDINE.*

Quod ad pulsuum ordinem, ii vero, in febre putrida, magis tensi & duri, atque sic deinceps in ceteris, prout antea commemoravimus, (y) occurrunt.

VIII. *SPIRITU DIFFICILI.*

Typho decumbentes spiritus molestus premit: Idem vero non assiduus; utpote qui subinde revertitur, ut in singultu quodam, vel suspirio, magis consistere videatur. Nullus tamen aut spiritus ardor, aut graveolentia, iis adest. Contra, in putrida, ut plurimum, laboriose, & cum singultu frequenti, respiratur. Spiritus item ardet; &, ob odorem foetidissimum, adstantibus valde molestus offenditur.

IX. *VULTU SQUALIDO ET QUASI INANIMI.*

In febribus nervosis, vultus potius mæstus, & lugubri consimilis: cum, in putridis, magis solito decolor, & maculis quodammodo interstinctus.

X. *URINA LIMPIDA.*

Neque leve discrimen, ex urina sola perspecta & explorata, febrem inter putridam & typhum, esse patebit. Nam, in hac, urina, quamvis sæpissime palens

(y) Vid. *Histor. morb.*

lens atque limpida; non raro tamen etiam colore talis evadit, qualis serum lactis, & aliquando cerevisiam tenuem, vapidamque assimilat. Idem fere nihil ad imum vasis fundum demittit, aut tantummodo quædam, parum cohærentia, per eam dispersa innatant. Ecce vero, in illa, urina, quæ in initio, limpida, cruda, pallida, & vapida fuerat, morbo jam provectiore, mutatur, & tandem lixivium merum, vel urinam citrinam, sanguinis striis interstinctam, repræsentat. Eadem vero, per aliquot dies, nihil ad vasis imum devehit; ne quidem in sese nubeculam suspensam ostendat. Paulatim vero, magis atra, cerevisiam vapidam, male coloratam, refert; graveolet; & interdum prope nigra, colore & odore gravissimis intercedit. (2) Huic vero nihil in typho consimile prorsus intervenit.

XI. *LINGUÆ ALBEDINE.*

Neque linguæ conditio nobis, inter typhi, febrisque putridæ discrimina, silentio prætereunda: Utpote quæ in febre utraque valde diversa est. In hac enim, morbo ineunte, albescens & satis humida fuit; eodem procedente, quotidie, magis ac magis atra redditur; & modo quasi lucide livescit, atra quasi bulla summam ejus occupante; modo nigerrima per multos dies continuos permanet. Sub morbi acmen vero, in universum, valde arefcit, rigescit, & nigrescit; seu colore quo-

(2) *Vid. Hist. morbi.*

quodam malum punicum refert. (a) Contra, in illa, perraro, sub initio, sicca aut decolor, aliquando mucoco tenui, albescente oblinitur. Eadem vero, febre evectiore, ruberrima patescit; & quasi in rimas fatiscit; ejusdemque ardorem conqueritur ægrotans. Denique vero, ex ore ejus exserta magnopere tremiscit.

XII. SITI PARVA VEL NULLA.

Sitim nullam, aut saltem leviusculam, in febre putrida, morbo ineunte, conqueruntur homines. Idem quoque non aliter typho jam correptis evenit: sed illo provecto, sitis maxima, immo fere inexplibilis, urget: Cum, ex adverso, in hoc, ad nullum fere morbi gradum, ne quidem eo vigente, sitis inexplata sollicitat.

XIII. DELIRIO.

Febre putrida laborantes, ut plurimum, ferociter, perinde ac si phrenitici, delirant. Delirium vero instare, vibratio carotidum vehemens, & oculorum rubor suffusus, indicat: Contra, typho decumbentibus, mentis confusio, seu perturbatio, potius quam delirium intervenit; adeo uti, secum continuo mussitare semper auscultantibus exaudiantur: Eandemque nec oculorum

(a) *Vid. Hister. morb.*

rum inflammatio, neque carotidum pulsatio, præcedunt.

XIV. Postremo, quod ad eruptiones, quæ in utraque febre discernuntur, attineat; In typho, die fere septimo, vel nono circiter, aut undecimo, pustulæ in cutim sese prorumpentes ostendant, respirandi, quæ simul incidit, angustiam subsecutæ; quæ judicatoriæ, nisi largiores, esse censentur: In febribus vero putridis, ut plurimum, petechiæ primo sese patefaciunt; quibus evanescentibus, circa diem undecimum, aut decimum quartum, ex sudoribus largiusculis obortis, pustulæ miliares, albescentes, symptomaticæ vulgo dijudicatæ, deinceps efflorescunt.

Hæc sunt tandem, quæ nobis ad dijudicandas febres putridas, atque nervosas, præcipue necessaria, & notatu dignissima patefcunt. Omnino vero supervacaneum foret, uti nos in rebus hisce diutius immoraremur, aut occasione nobis oblata profusius abuteremur. Parum ambigui, quin quæ protulerimus, intento animo pensitantes nunquam apud sese ancipites hærebunt, quo minus hosce morbos a sese invicem, alterum ab altero, clare & enucleate discernere potuerint. (b)

PROGNOSIS.

Inter prognosin tradendam, primo, quæ boni, de-

in-

(b) Quidam fortasse mirum habeant nos diagnosin febrem putridam malignam inter & pestem non omnino attigisse; in quibus vero præter causæ utriusque morbificæ & symptomatum vehementiam vel minime discrepant nos perspicere non posse ingenuè fatendum.

inde, quæ mali ominis existimentur, signa certissima proponere conabimur.

BONI OMNIS SIGNA.

Si diarrhæa levis, simul cum fudore blandiusculo, cum nullus interea, supra quod par est, corporis adfit calor, post diem septimum oboriatur, eadem salubre & vulgo judicatorium perhibebitur (c) Simile quoddam etiam asseverat Huxhamus, quippe qui dicit; „ A gentle diarrhæa is often very beneficial, and „ sometimes seems the only way nature takes to carry off the Morbific matter.” (d) Hujusmodi quoque sunt, ptyalismus levis, bubones in Inguinibus aut Axillis succrescentes præcipue vero tumor & suppuration glandularum parotidum. In signis ominis boni, merito habentur eruptiones istæ, quæ labia, nasumque circumnascuntur; eadem vero, quo magis rutilantes & inflammatae conspiciuntur, eo salubriores. (e) Itemque, si adsit ægro delirium leve tantum, si vires non multum imminuantur; porro, si, post vinum epotum & alia cardiaca ingesta, pulsus excitetur & augeatur, & animi alacriores exinde exhilarari videantur; simulque stupor, tremor, ceteraque generis nervosi symptomata diminuantur; ex hisce spes læta effulget, morbi eventum fælicissimum esse futurum. (f) Morbo de-

(c) Gregor. præl.

(d) Lib. de Feb.

(e) Ibidem.

(f) Pringel. Observ.

declinante, prognosin faustissimam præbent, urina turbida, simulque sudor, madorve quidam blandus, per totum corpus æquabiliter diffusus, vel etiam cutis quasi tactui mollis, & lingua humescens; vel denique, dejectiones biliosæ, quas diaphoresis mox excipit; nec non audiendi gravedo. Eandemque jam quoque præbet, & morbi exitum auspiciatum sperare facit, color petechiarum nigrescens aut violaceus, in lucidiorē conversus (g).

MALI OMNIS SIGNA.

Surditas, nec non diarrhœa initio morbi ingruentes inter hæc non immerito recensentur: Ut etiam delirium feròx; vigiliæ assiduæ; eruptiones in thoracem efflorescentes, iis quæ in rubeola sese produnt, haud absimiles; petechiæ nigrescentes; apthæ atrii coloris, ut &, quæ albescentes lardi instar apparent; quibus mox superveniunt respiratio & deglutio difficiles; dolore faucium, & æsophagi, cum singultu assiduo concomitantibus (h): Dejectiones nigræ, saniosæ, sanguine tinctæ, gravissime fætentes, & valde contagiosæ; (i) tales enim, intestina sphacelo correpta fuisse, commonstrant.

(g) Gregor. prælect.

(h) Sic habet Hoffman. „ Plurimi potius occumbunt, vel „ sphacelosa corruptione in ventriculo, intestinis & aliis visceribus, vel phrenitide, frequentius anginosa faucium & æsophagi „ inflammatoine, cadaveribus mox post mortem intolerandum „ plane fætorem spirantibus ”.

De feb. Petechial. ve r. Tom. II pag. 85.

(i) Absque tamen ulla abdominis detumescencia, vel ejusdem duritiei & tensionis imminutione provenientes.

strant. Cum vero, vibices, seu maculae latae, lividescentes, quales ex fugillatione provenire solent, morbo ad exitum maturante, patefcunt, simulque cum iis, infimarum corporis partium livor & frigiditas incessunt; Hæc omnia, mortem jam in limine adesse, pro certo denunciant. Neque minus certe fere funestum eventum indicant, sitis nulla, vel alioquin prorsus inexplibilis; lingua, arida, discissa, nigricans; vel, sudore & alvi fluxu cessante, delirium cum aliis pathematibus ingravescens (k); & urina, neque turbida, neque sedimentum deponens. Sin os & lingua valde siccantur, & squalore multo obsidentur, Huxhamo referente, (l) hoc ubique periculosum; & coma si-ve phrenitidem instare vaticinatur. Si denique ægri vires omnino deficient, neque Vino, neque ceteris cardiacis quibuslibet ingestis resuscitari possint; si oculi caliginibus obfuscentur; & æger, quamvis jussus, ex ore linguam tamen exserere nequeat; si deglutienti difficultas magis ac magis augeatur; si non nisi prorsus in tergum decumbere valeat, & genua quasi convolvat, floccosque carpat; si partes vesicatæ sanie effundant, & sudores cadavera oleant, nec non urina & excrementa involuntarie eo inscio deluant; una cum convulsionibus; hæc pessimi ominis habentur, mortisque certi præcursores. Nam, naturam jam corruere, ejusque vires a morbo funesto prægresso prorsus devictas esse, summopere commonstrant. Hæc vero, cum ita sese habent, ad medicinam

(k) Hoffman. loco jam citato.

(l) Lib. de Feb.

nam frustra confugiendum erit. De ægro enim sibi & amicis jam gravissimo, conclamatur.

CAUSÆ ANTECEDENTES.

Prædispositionem ad hunc morbum conciliant, evacuationes fere omnes, quæ supra quod conveniat, accedunt; salivatio vero imprimis, ebriositas, (*m*) venus immodica, fames, labor, vigiliæ nimis protractæ; alimentorum pravo succo pollentium ingluvies, vita nimis otiose & sedentarie peracta; affectiones animi quæ reprimunt, quales, timor, anxietas, mæstitia, & hisce confimiles. Denique, qui habitu laxo, & temperamento vel melancholico, vel phlegmatico, constant, huic feбри maxime obnoxii fiunt, & ex ea difficilior emergunt. (*n*)

CAU-

(*m*) Accepimus nuperrime a viro maxima fide digno medicinam chirurgicam apud Londinenses sæliciter exercenti, illum una cum quatuor vel quinque aliis sibi familiaritate conjunctis, postquam abhinc circiter octennium convivantes vini champagnensis uberiores quantitates ingurgitassent in febrem hujusmodi, morisque quidem teterrimi, quippe quæ non ullo fere putredinis summae signo carebat, incidisse, ex qua ipse tantummodo cum duobus aliis, quum a medicis & adstantibus de illis omnino conclamatum esset, mirifice incolumis evasit.

(*n*) Eidem quoque Sexus segnior, adnotante illiusfr̃is: Pringelio, magis quam virilis in universum patet, correptus vero facilius evadit; quod ille cutis, totiusque compagis qua gaudent mulieres, laxitati, & quæ exinde provenit in sudorem proclivitati, deberi opinatur. *Observat.* pag. 262.

C A U S Æ O C C A S I O N A L E S.

Ex hisce, quæ jam sequuntur, maxime eminent, & sæpissime huic morbo occasionem præbent.

I. Miasmata, seu aëris inquinamenta, vegetabilibus & animalibus putrefactis exorta.

II. Exhalationes, quæ ab aquis post inundationes stagnantibus & putrescentibus, vel a paludibus propemodum exsiccatis exoriuntur.

III. Aer stagnans, & multorum respiratione inquinatus; qualis, scilicet, in nosocomiis, navibus, ergastulis, & carceribus, ubi complures homines angustius ibidem coarctantur, ideoque fordibus multifariis adimplentur, offenditur.

IV. Diæta ex carne animali sola absque vegetabilium idonea quantitate infumendorum usu; vel ex carnibus aut piscibus nimis salitis, & semi-putrescentibus: Unde fit, ut qui rem nauticam exercent, porro qui per longum tempus obsidione conclusi circumcinguntur, huic feбри maxime opportuni deveniunt.

V. Cessatio ab exercitiis integra atque subitanea, præsertim in illis qui sese exercitare consueverunt, eidem nec minus ansam præbere solet.

VI. Algor etiam in numero causarum hanc febrem excitantium, merito censeatur. D. Lind, eum a miasmatis paludosis locum proximum obtinere testatur (n). Hic forsan, haud aliter, ac proxime dictum

(n) *Thef. Inaug. Edin.* pag. 23.

ctum, quam debilitatem inducendo, & perspirationem cohibendo, vires suas exercet: Unde fit ut putridæ materiæ miasmata, alioquin e corpore foras eliminanda, in corpore retineantur, ex eoque febris hæcce concitetur.

VII. Tempestates humidæ, Austrinæ, calore magno comitante, vel potius antecedente, parum salubres. Tales enim ad perspirationem imminuendam, atque adeo systema nervosum, corporeumque universum languore quodam afficiendum & laxandum, efficacissime operantur. Ideoque, nil mirum, cur homines, si modo antea prædisponantur, iis incidentibus, hoc morbo facilius arripiantur.

VIII. Denique, Miasmata humana & Contagium.

Hæc utraque pro certissimis & frequentissimis huiusmodi febrium causis remotis vulgatus habita. Quod ad contagium attineat, quin eas concitare certo certius possit non omnino recusandum. A nonnullis autem incusari etiam solent miasmata humana, talia scilicet quæ ex corpore sano proveniunt, quasi quæ sæpe sæpius easdem accendendi vi maxima polleant. At perperam fane quatenus nobis visum. Neque illos sic opinari fecius adductos credendum, quam ab exemplis, quæ undique prostant numerosissima, febres putridas malignas quibus in locis homines confertissimi congregati fuere, maxime omnium pullulasse. Nobis vero, quin ita fere in universum obtineat, minime inficias eundum. Attamen equidem ex folis hisce effluviis humanis easdem illic natas eo ipso non simul & semel concedendum. Etenim, si vera prædicunt ejusmodi morbos exinde nasci potuisse contendentes, illos

los semper frequentius latiusque grassantes proculdubio cernere liceret. Interea autem eadem hæc effluvia in febribus putridis excitandis non omnino vel non unquam symbolam suam conferre, quoniam longe aliter a nobis sentitur, nequaquam innuere volumus. Hoc autem scil. ab iisdem non esse exfuscitandas nisi quatenus aliæ simul opitularentur causæ, plane solummodo concessuri sumus. Nonne vero fere indies in propatulo extant exempla, quæ hujusmodi quidpiam validius insuadere, immò confirmare quodammodo viderentur? In urbibus etenim magnis, populosis, partem incolarum maximam, ut sunt illi qui minores gentes ceu plebs audiunt, in domiciliis subterraneis & valde angustis, nulliusque auræ salutiferæ afflatui perviis habitantem, eodemque tempore tantæ sordium pestiferarum congeriei tum in vestimentis & cibis obnoxiam, interea nihilo secius vitam inter valetudinem optimam agentem, quin etiam eandem usque ad senectutem vegetissimam placide producentem aspiciamus licet. Idemque in locis aliis perplurimis locis ubi homines confertissimi una degere sortito contingunt, pluries observandi copia datur. Flocci facienda prorsus, quæ de navibus onerariis, ergastulis, & nosocomiis & consimilibus, a quibusdam in hæcce forsitan objiciantur, quum in ejusmodi locis, quæ crescere solent febres, ex solis effluviis humanis absque plus minus contagio nasci non omnino concedendum, immo iterum, iterumque denegandum. Et pace quidem tantorum virorum, qui facta quædam in istud debellantia in medium protulisse videantur, illos, utpote qui multoties effectus contagii cujusdam occulti humano-

rum effluviorum vitio perperam transtulissent, auguraremur. Quis etenim v. g. febrem malignam in nave oneraria quadam obortam ab his folis citra contagium enatum fuisse indubitanter proponere audeat; nisi quem hujus sæpe delitescens natura penitus fefellit, seu qui ne momentum quidem ad cogitandum impertire voluit, quanta hominum undique confluentium, variasque in vita fortes subeuntium multitudo, quique proinde non potuere quin hujusmodi febrium causis prædisponentibus, etiamque multifarii generis contagioni necessarie sæpe sæpius ante paterent, ibi loci in exiguum, arctumque concludebantur. Idemque cum interea temporis inter immunditiem maximam exercitiis solidis expertes, mæstique in locis fædissimis nullo vento perflabilibus, fervabantur. Plurima his subjienda forent, nisi quod satis jam super hac re dictum ut credamus adducti essemus, ideoque non opus esse ut inter ulterius probandum miasmata humana, quippe quæ dummodo a corporibus sanorum attolluntur, innoxia prorsus habenda, per sese febribus putridis excitandis nunquam sufficere, diutius tempus impenderemus. Antequam vero ab hujusce rei consideratione totaliter abstinendum, ecce sententiam nostram in medium lubentissime prolatam & unico tantum vel altero simplici argumento deductam & innixam. A multis experimentis dilucide constat aerem cujusvis loci arctius undequaque conclusi ex plurimorum respiratione continuata demum inquinatum adeo reddi, ut omnes aeris boni dotes in totum exueret, & non amplius respirationi inserviret. Porro jam liquet ab experimentis a Viro ingeniosissimo, rerumque naturalium

lium indagatore sagacissimo Jos. Priestly apud Angliam institutis, ibidemque nuperrime vulgatis, aerem hujusmodi ab illo, in quo corrupta fuere animantia, non omnino discrepare. Hicce aer est, qui apud philosophos Mephiticus audit, & qui, ut ab infinitis fere, iisque tristissimis exemplis jam bene comperitum, in systema nervosum vi maxime sedante pollet. Talem vero in navibus onerariis, ergastulis & similibus locis sæpe sæpius gigni potuisse, nemini, qui, quomodo hæc in universum sese habent, non penitus ignorat, esse inficiandum opinaremur. His permixtis, quid obstabit ergo, si quando delitesceret forte in istiusmodi locis contagii fomes, quod equidem multoties fieri ex supra jam dictis a vero haud alienum, immo verosimillimum videretur, quo minus, præsertim quum ad idem conspirarent adeo plurima insuper debilitantia, quæ, quin systema corporeum, itemque nervosum, viribus ejusdem nocivis magis opportunum, & idoneum faciunt, haud addubitandum, putridi & maligni moris febres ibidem crescerent, & scaterent. Quod autem ad processum fermentativum cujus interventu eadem illa miasmata suæ indolis immutationem maximam subire, vimque valde pestiferam induere, quidam partes contrarias defendentes ajunt, attineat, illa quidem, etiamsi quod talis incideret non negaremus, in tanta quantitate colligi non omnino posse, quanta ad illos, quos isti exinde natos confingunt effectus præstandos sufficeret, haud existimandum (o).

At

(o) Neque ratiocinio solummodo, verum quidem exemplis a rebus factis fideliter deductis id quod de hisce rebus proposui-

At hic fortasse quidam sperarent, nos pauca, de contagii natura, ejusque in corpus humanum operandi rationibus, unde febres, in illo putridæ gignantur, in medium prolaturus. Sed, quoniam, etiam apud illos, qui in hisce rebus maxime sudarunt, de alterutris parum certi constat; & nos fictas ludentis ingenii fabulas hypotheticas, cane & angue peiores, aufugire concupiscimus, de hisce prorsus, ex consulto, fileamus (p).

CAUSA PROXIMA.

Eruditorum scripta, in re medica versutissimorum, passim perlegentem non latuisse potuit, quam enixe, & quasi viribus summis, ad morborum, febriumque praecipue, causam proximam eruendam, viri in arte celeberrimi, singulis fere seculis, operas impenderint.

mus comprobemus licet. En unum e multis quod ad rem valide facere manifestum; „ Nave quadam ab Ansono navium
„ Praefecto inclytissimo quondam capta, ejusdem nautas istius
„ jussu intra penetrale per plures menses quasi in carcere detentos fuisse, eoque tempore tametsi faetor maximus & fe-
„ re intolerabilis ibidem succrescebat, attamen non ullam febrem apud illos obortam fuisse, solumque eos jam ad littus
„ Anglicanum appulso exinde plurimum debilitatos, macieque maxima confectos extitisse addiscimus ”.

Anson's Voyages.

(p) Omni demum modo verbis Lindianis assentiendum;
„ There are unquestionably certain limits praescrib'd to human
„ researches, beyond which, though fancy may take its flight
„ and theory mak wide excursions, all is conjecture obscuri-
„ ty, or profound darkness ”.

Papers on Fevers & Infection Pap. 113.

rint. Nobis vero, nihil in hac re promovisse, adhuc videntur. Neque mirum, utpote qui, nostra saltem sententia, ad opus, longe vires suas, immo ingenii totius humani facultates, exsuperans, exequendum, sese accinxerunt. Si vero, quis animo secum perpendisse voluerit, quam obscura sit & abdita rerum & phenomenorum complurium natura, quibus indies versamur; simulque, quam arctis undique limitibus mens humana circumscribatur; quid obstaret, quominus auctori venustissimo, hæc verba proferenti, assentiamur, haud fatis videmus:

„ At hæc latent, & semper fortasse latebunt ”.

Quod vero ad morbi, de quo differimus, causam proximam attineat; de hac, haud fecius ac de febrium in genere causa proxima, plane confiteamur oportet, eam quoque nos prorsus latere; saltem vero, nos de ea nihil certi constituere posse. Sed, ne rem omnino silentio prætereamus, de qua forsan, uti nos aliquid saltem in medium proferamus, mos, in hujusmodi dissertatiunculis, usitatus, exiget; &, quoniam, in rebus quibuscunque, quarum nulla fides certa apud nos habenda est, id quod magis verisimile videatur, nos lubenter amplectamur oportet; per pauca, ex conjectura tantum probabili concepta, protulisse liceat. Idque agemus, quam brevissime potuerimus.

Febris ergo putridæ causam proximam, nos, in eam quæ cum maxima verisimilitudinis specie de ea effertur euntes, statuimus esse quoddam putridum in sanguinem, aut in systema corporeum ingestum, ibique quasi in fermentum agens, & quod denique facit

ut

ut ejus naturæ massa sanguinis totius assimiletur. Operandi modum, vel effectus in sanguinem, exponere, quippe qui dubiis undique premuntur, nos penes non esse plane confiteamur liceat. Nos, de iis, hoc tantum pro certo fere, saltem perexiguam erroris notabilis aleam subeuntes, instituere possumus; id, scilicet, cujusnam demum indolis sit, ut ex tremoribus, rigoribus, virium prostratione magna & interdum valde subitanea, debilitate, pulsu debili, parvo, ceterisque, satis in manifesto constare videretur, in systema nervosum primario vires suas exercere. At, Lector Benevole, nobis, animo hæsitantibus, uti succurras, enixe rogamus; &, si quid istis rectius noveris, candidus impertiaris; si non, hisce nobiscum utaris.

DISS E C T I O N E S.

Ex cadaverum hoc morbo demortuorum inspectione, non tam morbi causa, quam effectus innotescunt. Capite resecato permultis in cerebro & cerebello abscessus in conspectum prodidère; eadem etiam interdum gangræna vitiata deprehensa. Hocque ita nonnullis contigit, quibus, per morbi decursum, immo sub mortem, delirium perexiguum adfuit. Contra vero, in aliis qui delirio, etiam feroci, moribundi laboravêre, cerebrum ne minimè affectum reperièbatur. Contigit etiam Pringelio vidisse cerebri ventriculos, hominis cujusdam hac febre defuncti, materia purulenta refertos; cum idem, adhuc vivus, illo referente, nullam amentiam notabilem subiit, nisi eousque noctem,

Item, cui dies illuxit, in quo mortem, & aerumnarum finem, obiit (*q*). Abdomine reſerato, integumentisque diductis, viſcera, præcipue ventriculus & inteſtina in univerſum, inflammata, & sæpe ſphacellata, reperta fuere. Idque præſertim iis incidit, qui ſub mortis articulo diarrhæam perpeſſi fuere.

M E T H O D U S M E D E N D I.

Ex huius morbi natura & ſymptomatibus, quibus ſtipatur truculentis, quantum in nobis, pro rei ſubjectæ difficultate, occasione, viribusque noſtris, ſaltem fuit, luculenter jam perpenſis & expoſitis; deinceps uti morbum quam feliciffime proſtigemus, ægrumque, vitæ ſanitati priſtinæ, & amicis ſuis, quam citiffime reſtituamus, indicationes duæ ſequentes ſedulo obſervandæ deveniunt :

I. „ Actionem vaſorum ſyſtematis ſanguiferi nimis „ adauctam ſedare ac compescere ”.

A. Sanguinis miſſione.

a. Generali.

b. Topica.

B. Emeticis mitioribus; qualia,

a. Ipecacuanha.

b. Tartarum emeticum.

c. Oxymel Scilliticum.

d. Infuſio florum chamomillæ.

e. ——— cardui benedicti.

C. Laxantibus lenioribus; ut ſunt,

a. Sales medii.

b. Cre-

(*q*) *Vid. obſervat.*

b. Cremor tartari.

c. Rhabarbarum.

d. Clysmata blandiuscula.

D. Diaphoreticis & Antispasmodicis; cujusmodi,

a. Camphora.

b. Haustus salini.

c. Moschus.

d. Serum lactis acetosum seu vinosum.

e. Potiones diluentes, acidulæ, teporatae.

f. Fotus tepidi

g. Pediluvium.

h. Semicupium.

E. Regimine antiphlogistico.

II. „ Viribus septicis omnibus viis obviam ire ac inter-
„ dicere, simulque decumbentis robori studiose
„ consulere ”.

A. Causarum putrefactionis remotarum omnium
& singularum evitatione religiosa, pariterque
ceterorum, quæ hanc intendere queant.

B. Humores putridos e corpore foras eliminando.

a. Supra dictis B. C. D. indicat. I.

C. Virtute antiseptica & cardiaca pollentibus; qualia,

a. Prædicta. B. a. C. d. D. b. d. e. ejusdem

b. Acida mineralia, cujusmodi,

1. Elixir vitrioli.

2. Spiritus vitrioli dulcis.

3. — Nitri dulcis.

c. Acida vegetabilia, qualia præbent.

1. Fructus horæi, recentes, nostrates; qua-
les, poma, pyra, pruna, fraga, ribesia
&c. etiamque,

2. Fru-

2. Fructus ejusdem generis alienigeni; quales, limonia, aurantia, cum tamarindis, & similibus.
- d. Cibus vegetabilis, acefcens.
- e. Potulenta gelida.
- f. Aër frigidiusculus.
- g. Cortex Peruvianus.
- h. Vinum; quale,
 1. Burdigalense generofum.
 2. Lufitanicum rubrum.
 3. Rhenanum.
- i. Confectio cardiaca.
- k. Opium.
- D. Vi ftimulatrici & cardiaca præditis; qualia,
 - a. Alkali volatile.
 - b. Serpentaria Virginiana.
 - c. Contrayerva.
 - d. Veficatoria.
 - e. Sinapismata.
 - f. Cataplasmata calida.

Jam de remediis in hæc bina propofita valentiffimis fingulatim ex ordine tractare conftituimus.

Imprimis ergo, medicum, ad hanc febrem fanandam feſe accingentem, operam ftrenue navare, ad Plethoram, ſi quæ forſan adſit, imminuendam, & motus febriles nimis violentos compescendos, maxime oportebit. Quo vero facilius certiusque in hiſce voti compos ſit, enixe incumbendum, ut omnia quæ febrem ſtimulare aut irritare conſueverunt, qualia, calor ingens, lux nimia oculis affuſa, clamor, motusque, prorfus amoveantur. Neque nihil idem adjuva-

bit, si afflictus regimini antiphlogistico sese, ut par est, assuesceret. Eidem quoque scopo nonnunquam inserviat Venæsectio. Hæc vero, non nisi summa cum cautela, in hoc morbo adhibenda. Eademque nunquam, nisi circa febris initium, absque detrimento exinde maximo, usurpetur. Immo, plurimos hac febre decumbentes, venæsectione non omnino instituta, incolumes evasisse; ea vero semel iterumve celebrata, perpauca, addiscimus (r). Audiatur vero, quid de hujus remedii tractamine, in hoc morbo nuperrime conscripfit D. Jacobus Lind (s). Illum enim ejusdem usum prorsus fere damnantem, saltem valde improbantem, reperimus; etiamque, respectu nullo, aut saltem leviusculo, prorsus habito ad ea quæ Tissotus & Pringelius, uterque in arte therapeutica versatissimus, de ea in medium protulere, dicentem legimus: „Ausim tamen affirmare, tum ex propria experientia, cum ex animadversionibus D. Ba- denhock in dissertatione sua de febre apud Johan- nam, successum hujus remedii haud dilucide pate- re, ac potius inde ægrum in maximum periculum adductum esse”. At nos quippe qui nullius in verba jurare addicti, quod ad venæsectionis usum in hac febre attineat, melius fortasse procederemus, si medium quoddam, inter hæc extrema, teneremus. Nam uti pulcherrime cecinit Ovidius;

„*Inter utrumque tene, — medio tutissimus ibis*”.

Nobis ergo, regulas, aut admonitiones pauculas, ad

(r) Pringel. observat.

(s) Diss. Inaug. in Acad. Edin. pag. 31.

Venæsectionem in hac febre curanda spectantes, in medium proferre liceat.

I. Si quidem ægrotans ætate florescat, & ad diathesin phlogisticam proclivius vergat; si caput & dorsum vehementer doleant; simulque adsint, pulsus plenus ac durus, calor internus, sitis magna, respiratio difficilis, cordis palpitatio, & anxietas summa; ibi, venæsectio, at summa cum cautela, in usum advocanda: Idque eo magis, quo magis ex contagio morbum primordia deduxisse, compertum habemus. Neque Cel. Huxhamum hoc latuit; Ait enim: „Now
„ tho' it may be necessary to bleed the strong and robust
„ at the very beginning of contagious fevers; yet
„ we shou'd have a very carefull regard to the nature of
„ the fever, as arising from contagion, which seems to
„ affect, not only the blood, but primarily also the
„ animal spirits”. &c.

II. Si vero morbus ulterius sese provexerit, aut si delirium intersit; apage! sanguinis missio nusquam non nocebit; ideoque prorsus evitetur.

III. Pari ratione, si Venæsectione unice celebrata, pulsus deficiat, aut debilis evadat; eam iterum non esse repetendam, nisi cum damno, fortasse non reparabili exinde proventuro, hoc erit in indicio.

IV. Ubi vero, ex oculorum rubore suffuso, & inflammatione, Arteriarum carotidum vibratione forti, pulsuque pleno, tenso, duroque, cerebri inflammationem suspicemur licuit; ecce, protinus ad detractionem sanguinis topicam, vel per hirudines sangui-
fugas temporibus applicatas, vel per cucurbitulas,

cruentas vel denique per cujusdam partis scarificationem, omnino confugiendum. Pariterque si quando dolores erratici, pleuriticos vel colicos æmulantes, oboriantur, ibi, testante Viro artis Apollinariæ peritissimo Donaldo Monro, Venæsectio absque damno vel minimo, immo maximo cum emolumento usurpetur. (t)

Eundem denique scopum, quem Venæsectio, pertingunt, emetica, alvum leniter solventia, diaphoretica, & antispasmodica. Sed quoniam, hæc eadem quodammodo simul ad indicationem utramque accommodantur, de usu quem singula seorsim in hac febre præstant, nec non, ubinam, & quomodo, facilius adhibenda, sigillatim exponere, magis ex ordine futurum arbitramur.

E M E T I C A.

Omnes evacuationes nimis violentæ, quippe quæ validius ægrotantis vires enervant, in hac febre, sedulo devitentur. Sed, cum nulla fere sit ex hujusmodi febribus absque majore aut minore ventriculi molestia, & ad vomitionem propensione; nil obstat, quin emeticum mitissimum, ad hæc mala tollenda, vel saltem sublevanda, propinaretur. Medicaminis hujusmodi dosis fatis apta non tantum naturæ conaminibus, ad colluviem biliosam, acrem putridamque, de stomacho rejiciendam feliciter succurrit; sed etiam, quod maximi sit emolumenti, cuticulæ spiracula patefacit, spasmus in superficie natus mire solvit, alvumque pariter interdum leniter ducit. Adde etiam,
quod

(t) *Diseases of the Military hospitals.*

quod hujusmodi medicamina multo minus, Huxhamo referente, quam ea quæ, ad excretiones alvinas promovendas, vulgatus adhibentur, naturam opitulatricem conturbant. Hocque præter enarrata, res profecto desideratissima, ex vomitoriorum exhibitione tempestiva, sæpissime consequitur, ut febris ad remissionem deducatur, eaque via locus Cortici Peruviano feliciter injiciendo præbeatur; quo factum fuit, prout perplurimi ex practicis hodiernis adtestantur, quod etiam nobismetipsis vidisse aliquando contigit, ut febres alioquin truculentissimæ futuræ mitigatæ decurtarentur, immo sub ipsis initiis sufflaminatæ pluries omnino profligarentur. In hæc autem munera multifaria subeunda, ceteris omnibus ex eo medicamentorum classe depromptis, longe præstat tartarum emeticum, at portiunculis minusculis & sæpius iteratis adhibitum; quod etiam, nulla non morbi periodo, tutissime propinare licebit: Idque, cum efficacia multo majori, cum Ipecacuanha conjunctum, adhibeatur. Quocirca cum parte quarta, mediave grani tartari emetici, quinque aut sex Ipecacuanhæ grana in dosin commodissime admisceantur. Atqui hodie per se, quovis liquore idoneo, qui ei pro vehiculo sit, diffusum, ut in formula subsequenti, potissimum administrari solet.

℞. Tartar. emet. gr. ij.

Aqu. purissim. ℥iv.

— Rosar. — ℥ij.

Syrup. Caryophill. ℥ss.

M. f. solutio.

Hu-

Hujusque mixturæ cohleare in dosin ingeratur, idem repetendo semihoris singulis usque ad quartam vel quintam vicem, nisi prius alvus copiosius dejecerit, aut vomitio supervenerit. Quod ad tempus spectaret, illam hora pomeridiana, vel ferius, paulo ante paroxysmi vespertini accessum exhibere maxime profuerit. Curiosiusque caveatur omnino oportet, ne febricitans nauseabundus nimium potum ingurgitet, quo fiat, ut vomitio citius, validiusque, quam par est, excitetur, simulque medicamen e ventriculo foras eliminetur. Hujusmodi fuit forma, sub qua tartarum emeticum ex febrifugis & Antimonialibus ceteris, quæ ubique sunt, remedium procul dubio palmarium, a Cullenno celebrer: hujusce sæculi revera Hippocrate altero, toties maximo cum successu in nosocomio Edinensi propinatum observavimus (v). Eundem autem virum Clariss. Ipecacuanham ad vomitionem plenam ciendam, siquando huic occasio subnascatur, prælectionibus suis sæpius commendantem exaudivimus. Usus aquæ calidæ ad eandem excitandam, omnino improbat Cl. Huxhamus. Idem vero, decoctum, vel infusum Ipecacuanhæ, nec non oxymel scilliticum, superbibendo ex infu-

(v) Vinum Antimonialle, itemque Jacobi pulvis (James's Powders) præsidium contra febres quascunque hisce diebus adeo decantatum, laudibus suis etiam in hacce nostra non omnino destitui debent, quum, utriusque remedii efficacitatem, viri summa in arte therapeutica auctoritate donati multum concelebrant. Illud equidem ab Huxhamo magnopere laudatur; idemque, prout videretur, huic, utpote quod, cum non salinum sit, si acidum in ventriculo usitatum non offenderet, per intestinorum tractum iners omnino transeat, merito præponendum.

fusionem levi florum chamomæli, in hoc propositum collaudat. Hocce chamomæli infusum præterquam quod emetici cujusvis dati operationem valde promoveat, quoniam etiam vi antiseptica pollet, in diathesin septicam, in primis viis accumulata, si quæ lateat, etiam strenue valebit. Sin æger, stomacho bene colluto, sordibusque expurgato, nauseare persistat; remedium optimum erit pauxillum theriac. andromach. mistura idonea ex sal. absinth. succ. limon. & aqu. menth. composita, exhaustum; nec non stomacho, fotum aromaticum, vel cataplasma ex specie aromatica, cum theriac. conjuncta, (x) admove-
 rummopere profuerit. Perraro vero fallit hoc remedium. Si in quibusdam abdominis visceribus adsint signa inflammationis topicæ; ibi emeticorum usus in hac febre non omnino usurpandus.

L A X A N T I A.

In hujus febris initio, non ea tantum, quæ ventericulus; sed etiam quæ intestina exonerare ac depurgare valeant, adhibenda. Utriusque generis medicaminum usus, sub quovis morbi stadio, ex oris amaritudine, nausea, eructatione nidorosa, foetida, nimia alvi adstrictione, abdominis tensione & tumore, torminibus, & ceteris, indicantur. Sin alvus, tartaro
 eme-

(x) Vel ex theriaca sola, deinde guttas pauculas ol. still. menth. & laud. liquid. ad lenem humectationem usque superin-
 spargendo, optime conficiatur.

emetico infumpto , non solvatur , sed etiamnum ad-
stricta , & quasi distenta , perstiterit ; ibi laxantia , sed
lenissima , apprime conveniunt. Hujusmodi habentur
cremor tartari , manna , sal. glaub. tamarind. rha-
barb. parvulis dosibus adhibita. Injectiones quoque
ex lacte , saccharo , & sale , idonea quantitate com-
mistis , in eundem finem accommode conducunt. Nec
non chrystalli tartari , qui summa cum laude in hac
febre concelebrantur ; adeo ut a ceteris ejusmodi me-
dicaminibus palmam fere præripere censeantur ; quip-
pe qui , medicamentum adeo efficacissimum esse ex-
perientia comperiuntur , ac si , in febribus a putre-
dine coortis , cum potu ordinario commiscerentur ,
humores putridos magnopere corrigunt ; porro , si cum
tamarind. & manna , portiunculis aptatis opportune
propinentur , purgamen summe antisepticum , & bilis
acrioris evacuatorium , subministrant. Omnia vero ,
quæ acriter expurgant , utpote quæ tristissimos effe-
ctus edere consueverunt , in hoc morbo , cane & an-
gue pejora , devitentur oportebit (y).

D I A.

(y) Clarissimumque Professore , Van Doeveren , Virum
in Arte Hippocratica nemini secundum , usum medicinæ in Aca-
demia Lugdunensi singulari orationis suavitatem , maximamque lau-
de præmonstrantem , in purgantia acriora , drastica , quasi in
febribus curandis nunquam fere in adjumentum accersenda ,
quippe quæ ex eorum irritamento non solum spasmo febrili con-
firmando , & continuando , verum etiam eidem ablato de novo
quasi ex fomite resuscitando , sæpenumero ansam præbuisse con-
specta fuere , duriter invehentem , simulque eccoproticorum
usurpationem valde extollentem , in prælectionibus nuperrime
auscultavimus.

D I A P H O R E T I C A.

Quamvis hæcce febris sæpius ex sudore, quam ex ceteris evacuationibus, plenius judicatur, ideoque, uti semper blandiuscule sudaret æger, valde salutis conducibile videretur; sudorem, nihilominus, nisi admodum leniter moventia, in ea in subsidium minime advocanda. Talia vero, cum naturæ conaminibus opitulantur, & ad spasmum, in superficie natum, qui in hoc morbo dominatur, amovendum efficacissima deprehenduntur, curationi magnopere adminiculantur. Hujus vero classis omnia quæ nimis calefaciunt aut exstimulant, quippe quæ perniciosissima semper esse reperiuntur, sedulo præcaveantur. Primarii generis, ecce! liquores omnes blandi, subacidi, diluentes, frequenter, at parva copia singulis vicibus exhausti. Ex iis præcipue eminet serum vaccinum, acetosum. Eodem spectant emetica leniora, minutis portionibus, sæpius iteratis, assumpta. Quod ad liquorum acidorum usus attineat; de iis, elegantissime & perquam concinne differuit ille collaudatus Lind; „Liquores enim acidi, inquit, refrigerare ægros inservientes, acrem in stomacho bilem „& intestinis diluunt, sitim sedant, caloremque minuunt; ac proinde, quo minus febris sæviet, inhibent; putridos quoque emendant humores”. Ad diaphoresin lenem quoque promovendam, Huxhamus camphoram strenue commendat; quippe non aliud, quam ea cum anodyno conjuncta, prout asserit, sub toto cælo medicamentum extat, quod sudorem certo

magis cieat; &, eo consilio, elixir asthmaticum vel paregoricum lubentissime propinare consuevit. Quoniam autem hocce remedium præstantissimum haud unicuique stomacho conveniat, ad hoc incommodum amovendum, sub jalapii forma cum aceto bene subactam exhibendam esse præscripsit. Hujus jalapii vires apud illum summis laudibus efferuntur. Cl. Gregorium vero in Academia Edinburgena professorem, & olim præceptorem nostrum ad ultimam vitæ lineam usque colendum, eheu! nuper morte acerba e medio sublatum, in suis prælectionibus, camphoræ effectus in hac febre, prout in morbis fere singulis, admodum incertos esse, prædicantem exaudivimus. Quin etiam ab ipso collegimus, Moschi grana quindecim, omni bihorio assumpta, diaphoresin ciendo, præstantissimos effectus edere. Fructuum acidorum succi, limoniorum præcipue, ut & aurantiorum dulcium, nec minus eidem scopo apprime inserviunt: At ingruente diarrhæa, ab eorum usu statim absteineatur oportebit. Spiritum Mindereri prout medicamen leniter sudoriferum in hoc morbo interdum usurpatum fuisse apud Clariss. Pringelum in observationibus præstantissimis legimus. Similiter quid obstat quominus in eodem, in sudores mitiores eliciendos, emetica diacodiatis, aptis portiunculis, maritata, Pulverem Doverianum, (Dover's powders) imprimis, sub cautelis debitis utilissime atque tutissime propinare liceat...? Omnia pariter illa, de quibus antea fusius disceptatum, quæ aut emesin cieant, aut nauseam inferre valeant, diaphoreticis, ejusdem curationi, modo

do recte ac tempestive subministrantur, multum ad-
miniculantibus adnumerari merentur. Sicut etiam
Nitrum, quod, quum toties quoties fere in ventricu-
lum insumptum, vim nauseantem exercere notatum
fuit, vice diaphoretici palmarii antipuretici, sic ut
nonnulli prædicant, exitu felici sæpe functum fuisse
ab experientia iterata jam comprobari collegimus.

A N T I S P A S M O D I C A.

Omnia diaphoretica, prout optime notum, vi quo-
que plus minus antispasmodica pollent. Quoniam ve-
ro, in illis tractandis, de horum etiam plerisque, quæ
in hoc morbo commodissime usurpantur, mentionem
fecimus; omnia quæ de iis antea tradidimus iterum
nunc repetere, quod supervacaneum prorsus foret exi-
stimamus. Liceat ergo tantum unam alteramve de
balnei tepidi & fomentationum usu in hac febre ani-
madversionem hic subtexere. Hæc vero, sub morbi
statum præcipue in ea, minime nimis libere in usum
advocentur. In initio quidem balneum ex aqua tepi-
da, cum pauxillo aceti permisto paratum, ad salubri-
tatem forte conferre potuit: At vero, morbo jam pro-
vecto, porro si multum ægrotantis vires defecerint,
uti balnei tepidi, sicut & fomentationum adhibitio,
utpote quæ nimis laxant & debilitant summa cura de-
viteretur tutissimum (z).

Nunc

(z) Utut vero hæcce sese habeant, attamen usus balnei te-
pidi, & fomentationum in febribus putridis, non omnino pro-
hibendus: etenim, quotiescunque ex ægrotantis vultu effera-

Nunc ad Indicationem alteram a nobis propositam, scilicet, ut „ Vires septicæ quovis modo obveniant, tur & deleantur, itemque decumbentis robori prospiciatur, ” perventum est. Huic inserviendæ, pariterque quadantenus indicationi superiori, adamussim convenient remedia quæ titulo generali Antisepticorum, Cardiacorum, & Stimulantium insigniuntur. Quandoquidem autem medicamina singularia ad hæc classes speciatim pertinentia, quorum utpote virtutes arctius adeo, & proxime inter se nectuntur, & quasi commiscentur, ut, utrum ad hanc vel illam classem necne, pleraque ex illis releganda, quis faciliter, aut potius non omnino pro certo statuere posset, excerpere, nedum seorsim tractare, haud possibile esset; insuper quum nimis longum foret, eapropter tum brevitate, quam boni ordinis ergo, quæ ex illis pollentissima in febre nostra sæpissime deprehensa fuisse addiscimus, sub duobus capitibus, in quorum primario super Antiseptis, in altero de Cardiacis agendum erit, jam exequi nobismet constituimus.

I. AN-

to, adspectu torvo, typhomania, corporis totius, ut & artuum concussionibus tremulis, motibus convulsivis, tendinum subsultu, ictibusque arteriarum frequentibus, imbecilibus, contractis, abnormibus, & ceteris, irritationes cerebri quas-cunque adesse hariolemur: porro, si coma aut delirium instarent; non aliunde toto cælo magis certum, magisque tutum in hæc mala subsidium quærendum, prout omnibus fere practicis jampridem innotuit, quam ex fomentatibus, dummodo quidem omni, qua par est, prudentia, administrentur prospiciatur.

I. *A N T I S E P T I C A.*

Acida omnia, prout & omnes liquores aciduli, putredini validius obviam eunt: Acida tamen vegetabilia, in hunc finem præscripta, fossilibus longe sunt anteponenda. Ex illis, succi limoniorum & aurantiorum luculenter eminent. Succus ejusmodi, cum materia farinacea commistus, utilissime pro cibo suggeratur. Ex acidis fossilibus, optimum habetur vitriolicum. Eodem quoque spectat medicamen, antea dictum, chrystalli tartari, cujus vires antisepticae. „ Licet tantæ fortasse non sint, ac limoniorum succus & acidorum fossilium; ingens tamen ejus utilitas experimentis fatis patet. ” Nec non sales neutri, ex succo limoniorum parati; si præsertim ipso effervescentiæ actu liberius ingerantur. Hisce etiam myrrhum, & chamomælam, similiterque diætam vegetabilem, farinaceam, acescentem, aquosamque forsan Italorum, una cum emeticis, eccoproticis, & diluentibus, ac similibus, de quibus antea satis luculenter egimus, subjungere liceat; utpote quæ omnia, nec minus in diathesin septicam tum in sanguine, quam in ventriculo atque intestinis latitantem, egregie pollent. Aer quoque mephiticus per anum sursum in intestina clysmatis ritu machina idonea injectus, apud Angliam nuperrime, si nonnullis auscultandum, in hujusmodi morbis incredibiliter fere profuit.

II. *C A R D I A C A.*

Hujusmodi medicamenta præcipue ad indicationis
no:

nostræ partem posteriorem accommodantur. Eorum usus, quippe quæ, in hac febre, ex omnibus ceteris remediis, nulli secunda, nequaquam omittendus. Inter ea vero locum summum, ac primarium obtinet vinum rubrum generosum, anglice „*Claret.*” sermone vernaculo vulgo nuncupatum. Cujus utilitatem summam his verbis exposuit Huxhamus: „In „this view, and in these abovemention'd, I cannot „but recommend a generous, red wine, as a most „noble, natural, subastringent cordial; and perhaps „art cannot supply a better”. Mox subjungit, Vinum ejusmodi meracum, sub statum interdum, at præsertim morbo declinante epotum, summo cum successu profuisse; idque maxime, cum succo limoniorum seu aurantiorum aliquantulo ad gratum acorem conciliandum, admisceatur. Commodissime quoque, in idem consilium, cum eodem, pro re nata, cinnamom. cort. aurantior. ros. rubr. & aliquando elixir. vitriol. guttulæ paucæ simul adhibeantur. Idem, cum aqua temperatum, pulsum minuit; delirium, quod plerumque, in hac febre, a debilitate nascitur, sedat; & denique, somnum, cum eum opiata non præstare valuissent, interdum leniter inducit; & motus animi effrænos mirifice componit (a). Si vinum defuerit, ecce! Confectio cardiaca vices
ejus

(a) Etiamque si fides quibusdam, iisque notæ melioris in arte salutifera viris, habenda foret, camphora contra vigilias & deliria pari cum successu sæpe sæpius propinata fuit. Etenim J. F. Scriberum *in observat. & cogitat. de pestilentiis*, ejusdem vires & efficaciam in hisce submovendis ita declarantem legimus;

ejus optime supplebit. Eam una cum vino liberius exhibitam, etiam post corticem peruvianum incassum tentatum, ægri vires restaurasse compertum. Attamen non, nisi ubi desit vinum, adhibendam esse suaferimus. Ibi vero, specialiter indicatur ejus usus, ubi stimulo subitaneo opus erit. Hisce jam dictis, theriacam, serpentariam virginianam, contrayervam, & alkali volatile, subnectere possumus: At hæc, quippe quæ nimis esse stimulantia reperiuntur, non, nisi ubi stimulum de repente concitare indicatur, in usum advocare moneremus. Ad hæc, frigus, aquam frigidam, una cum ceteris potulentis egelidis, quæ vires admodum cardiacas, & tonicas, in hujusmodi morbis, nec minus præstare deprehenduntur, pro re nata secundis avibus in subsidium accersamus. Id autem caveatur maxime oportebit, quod, si capitis, aut faucium, vel viscerum, quæ in abdominis vel thoracis cavo conduntur, mala topica inflammatoria grassentur, ibi potationes quascunque frigidiores prohibere omnino melius, tutiusque erit. Denique, opiata etiam, in eundem finem quem cardiaca, nonnunquam exhibentur, eorumque vicibus optime funguntur.

III. CORTEX PERUVIANUS.

De hoc autem, utpote qui cum vi cardiaca, tum
non-

mus; „ In morbo gravi epidemico, cum petechiis varii coloris
„ & nigris, post lene vomitorium, non uno solum nomine lau-
„ danda camphora, & somnum arcessens, & deliria compe-
„ scens, aptissimum fuit remedium ”.

summe antiseptica, pollet, seorsim tractare lubebit. Efficaciam ejus insignem, in hac febre, præcipue stadio secundo, nemo in ambiguum revocare potest. Ejusdem usus necessarios, in hisce rerum articulis, causa duplex indicare videtur: Prima, quoniam ægri vires summe debilitantur; secunda, quia tunc quoque diathesis septica maxime dominatur. Eundem, autem, ante hoc morbi stadium, non exhibendum existimamus; amico nostro & confocio, Doctori Johanni Warren, in omnibus fere super hac re dicendis assentientes (b). Ait enim: „ In stadio secundo, ubi „ atonica vel putrida diathesis locum obtinet, corti- „ cem esse efficacissimum, nemo dubitat ”. (c)

Quod ad formulas attineat, sub quibus exhibitus efficacissimus evadat, eum, vel in ipsa substantia, vel in ipsius extracto, vel demum in infusione frigida, cui pauxillum ejusdem tincturæ spirituosæ, quo pollentior evadat, admisceatur,ministrare commodissime licebit. Sin autem ægrotantis alvus adstricta, vel abdomen tumidum tensumque subsit; per-

(b) Nihilo fecius, hocce remedium sane palmarium, sub ipsis febrium initiis, quamprimum ex tartaro emetico insumpto, quod equidem sæpius fuisse factum jam adnotavimus, evidentiores remissiones consequerentur, eventu prospero sæpe numero fuisse liberius ingestum; hacque methodo semper usum fuisse Dominum James, quam etiam in praxi sua deinceps adoptavisse, parique eum successu in per plurimis casibus adhibuisse Clariss. Gregorium, collegimus.

(c) *Thef. inaug. Pag. 29, & 30.*

pauca rhabbari grana, singulis dosibus aptata, commodius adjungi queant. Viribus vitæ multum prostratis, eum, cum cardiaco quodam conjunctum, propinare conveniet. Si vero stomachus eundem non facile sustineat, sub forma clysmatis injiciatur liceat; at corticis his modis injecti copia multo major ad effectum suum præstandum postulabitur. Si respiratio difficilis premat, & determinatio pulmones versus, ejusdem usum quodammodo inhibeat; conjunctum cum eo detur vel opium, vel oxymel scilliticum, idonea quantitate coaptatum. Denique vero, si perspirationem interea promovere vellemus, ei pauxillum spiritus Mindereri commisceatur.

Quod ad dosin, in qua aptissime exhibeatur, ægrum drachmam unam omni bihorio vel trihorio deglutiisse sufficiat. Ejus tincturam propinare, maxime Huxhamo placuit; eamque sæpius cum elixir vitrioli conjunctam in subsidium advocavit. Sin autem sententiam nostram interponere nobis liceat, eam, sub hac forma, tanta copia, quanta opus esset, exhibere non conceditur. Addatur etiam, quod, propter spiritus vim nocivam, qui ei pro vehiculo suppetit, viribus stimulantibus nimis polleat. Ad summam vero, Cortex Peruvianus, in hoc morbo, seu ad ipsam morbi vim compefcendam, seu ad ægrotantis vires restituendas ac sustentandas, seu ad putredinem obveniendam, remedium præbetur eximium & præstantissimum. Nam ab experientia repetita & observatione fideli comprobatum est, eundem valde ad om-

nes secretiones salutare promovendas, uti sudoris atque sialæ, prout etiam ad sudores colliquantes sistendas, conferre; nec non, totius systematis tonum summe augere & roborare, vires ægri effætas mire restaurare, ac proinde putredini, mortique in hac febre vehementer, & ultra quod forte credibile cuquam, obviam ire & interdicere.

IV. VESICATORIA.

De hisce quoque seorsim differere nobis arrisit. Quatenus autem illorum usus sit accommodus ac salutaris, nondum apud medicos satis convenit. Illa potius in hac febre nociva futura suspicaremur, ex eo quod omnia quæ vi irritante seu stimulatrice pollent, ut antea diximus, prout vulgo creditur, eidem adversantur (*d*). Morbo incunte, præmature applicata nunquam

(*d*) Attamen Celeber. & sagaciss. Lindius se, epispastica, etiam in casibus istiusmodi, qui omnia, cujuscunque generis fuerint, stimulantia interdicere, quinimo quidem eadem vehementer omnino contraindicare viderentur, egregio cum fructu, & symptomatum levamine, multoties præcipuisse commemorat; quippe narrat: „ I have more than once in an evening order'd „ eight or ten to be blister'd, and have left them with a quick „ pulse, „ great heat, immoderate thirst, a pain, confusion, and „ heaviness of the head &c. ” Mox subjungit: „ But next „ morning, I found these patients with a lively, brisk eye, a „ calm pulse, and with a desire to get ont of bed ”.

Papers on fevers & infection. Pag. 9.

quam non nocebunt: Ex illorum usu præmaturo, Huxhamus, sese pervigilium, delirium, tendinum subsultum, & consimilia vidisse testatur. Hæc tamen medicamenta non essent in universum forsitan improbanda. Subjicit enim idem Cel. illa, febre declinante, summa cum utilitate usurpari posse; scil. ubi solida torpescunt, sanguinis circuitus languescit, & spiritus effæti deveniunt; sicut etiam ubi periclitatur ægrotans, ne in coma repentinum inciderit, vel ubi inflammatio cerebri localis immineat. Neque defunt exempla, ubi, iisdem rebus circumstantibus, cataplasmata & sinapismata plantis pedum admota multum profuere. Pringellius tamen, a se aliquando visum iri delirium, quod antea satis vehemens existebat a remedii posterioris, ut & epispasticorum maxime autem illius usu, multum intendi refert (*b*).

Denique, quodcumque signa determinationem pulmones versus, aliave thoracis, aut abdominis viscera præmonstrantia, subesse constarent, non alia quæ libet, ex totius medicinæ foro decerpta medicamina, hisce malis succurrendis, & abigendis, epispasticis opportune usurpatis præstantiora existant. Quo vero parti laboranti propiora admoventur, eo citiores, nec minus atque faustiores effectus, ut plurimum edere consueverunt. Eaque tempore matutino, potius quam die jam advesperascente, metu ne, quæ tunc temporis ingruere solent exacerbationes, ab illorum stimulis, ac irritamentis adaugeantur, & passundentur, imponenda
mo-

(*e*) *Observation. pag. 282.*

moneremus. Nec alienum erit hoc etiam obiter suggerere, quod, si quando necessitas iisdem capiti applicandis urgeret, ad id maxime respiciamus oporteret, ut decem, vel duodecim horis antequam admovenda suaserimus, capilli abscindantur, capillitiumque curiosius abrasum, & deinde bene cum aceto tepefacto collutum foveatur; queis, una cum diluentium idonea quantitate subinde sorbendorum usu, & cuticulæ, simul ac elevata sit, amotione, stranguriæ fatis obveniatur.

V. REGIMEN IDONEUM.

Nec levis momenti in hoc morbo foret, in id attentius incumbere, ut æger cibo potuque idoneis utatur. Quod ad hæc attinet, sint illi pro victu, quæ omnium levissima, refrigerantia, & antiseptica perhibentur. Quale, panada, quæ ex oryza, fagoe, & hordeo coctis, cum uvis Corinthiacis aut passis, ac prunis conficitur. Eadem vero, saccharo & interdum aliquantulo vini rubri antea dicti superaddito, multo præstantior evadit; ad sustentandas ægri vires, pulmenta ex farina & oryza confecta, & acidorum fructuum succo, saccharoque condita, cum vini pauxillo aliquando etiam permista, valde conferunt. Victus omnis ex animalium genere petitus summa cura prohibeatur. Pro potu ordinario, liquoribus blande acidulis, cum saccharo conditis, utatur; quibus quoque, si vires ei multum deficient, aliquantulum vini rubri commodissime commisceatur. Neque curam
nul.

nullam exercere oportebit, ut æger in cubiculo spatio-
fo, perflabili, sæpius aceto conspergendo, conserve-
tur. Indusia, lodices, & lecti stragula, sæpius im-
mutentur, & aëri exponantur: Itemque fæces, for-
desque quamprimum amoveantur: Denique vero,
semper summa cura ægris omni modo prospicia-
tur.

Antequam vero omnino finem imponamus, quæ-
dam, de symptomatibus propriis occurrentis & amo-
vendis, quin & de Recidiva præcavenda & Prophylaxi idonea, proferre, haud a re alienum fore puta-
mus. Et primo, de symptomatibus quibusdam oc-
currentis & amovendis.

Si ingruat diarrhœa, fælicissime cohibeatur, tin-
ctura rosarum acidula, vino rubro cocto, & cum
Cortice cinnamomi commisto, seu clysmatibus ex the-
riaca cum guttulis circiter XXV. vel XXX. laudan.
liquid. singulis additis. Ad idem consilium, aliquan-
do etiam usurpetur pulvis Doverianus; qui, diapho-
resin excitando, violentæ diarrhææ tempestive suc-
currat.

Ad vomitum, si nimis vehemens sit, sistendum;
optime conveniunt haustus salini, in ipso effervescentiæ
statu propinati, cum hujusmodi ceteris. At, de
his & aliis eodem spectantibus, fusius antea dixi-
mus.

In tumore & suppuratione parotidum, sedulo caven-
dum, ne materia, introrsum absorbeatur, iterum-
que, cum sanguine circumvecta, novas in corpore tur-
bas excitaret. Fluctuationis ideo interventum minime
præ-

præstolemur oportebit. Tumor potius, adhuc durus, refecandus; ut exitus inde materiæ virulentæ pateat. Hujusmodi tumorum vero suppuratio, emplastris e gummis ferulaceis confectis, aut cataplasmatibus demulcentibus, iis applicatis, optime promovebitur. Eadem sæpius renovemus, & calida servemus oportebit; nam, si frigescere sinamus, vi potius repellente pollebunt.

Vermes, qui nonnunquam, inter morbi decursum, intus hospitantur, portiunculis minutis rhabarb. & calomel. adhibitis, opportune profligantur.

Tumoribus crurum œdematosis optime occurrit cortex peruvianus: At, siquando tales incidant, ad eos submovendos, utilissime conducunt, radicis raphani rustici infusum, vel oxymel scilliticum. His vero frustra tentatis, ad vesicatoria, cutisque puncturas, demum confugiendum.

Quædam jam de Recidiva præcavenda, ac deinceps de Prophylaxi, breviter submonenda restant. Totius autem illius rei cardo in tribus sequentibus vertitur.

1º. Revalescentes ex hocce morbo funestissimo causas occasionales, omnes & singulas, studiosius augere, maxime oportebit. Quales vero sunt, satis copiose antea demonstravimus.

2º. Medicina, quæ apud nonnullos gymnastica audit, iisdem fortiter insuadenda, utque diu satis, & constanter in ejusdem usu pergant, medico solerti, haud secius ac illis sanitatem miseri, quasi jam de novo reviviscentis, denuo confirmare exoptantibus, acriter incumbendum. Istud verum exercitationis genus,
quod

quod omnium minime delasset, seu vires infirmatas exhauriat, aliis anteponendum. Quapropter imprimis vectio in rheda, deinde equitatio quotidiana, lenis, iisdem præcipienda. Quin etiam navigatio, pariterque corporis universi perfricationes cum pannis laneis siccis, aut cum strigili, subinde repetitis, multum prodesse queant. At lavatio frigida, quamprimum vires ferre possint, ad tonum systematis nervosi, tum corporei restaurandum, & obfirmandum, ceteris omnibus præpollebit.

3°. Denique haud aspernando modo etiam adjuvabit, quo minus febris hæcce recidivaret, si regimini accommodo sese obstringeret convalescens. Quod ad hoc autem pertineat, quoniam idem, quod huic ar-cendæ, item recidivanti occurrendæ adamussim idoneum esse proponimus, in prophylaxi tractanda, de qua mox, prout supra constituimus, paucis ex ordine differendum, nos, utpote qui repetitionem quamvis supervacaneam omnino averfamur, regimen utrique consilio accommodatum exponemus.

P R O P H Y L A X I S.

Ad hunc morbum præcavendum maxime conferunt, aër refrigeratorius & salubris, mundities, exercitatio lenior, diæta generosa, cum usu vini rubri, ad hilaritatem conciliandam tantum epoti, quotidiano: Omnibus interea animi affectionibus, quæ reprimant, ut & fatigatione, ac venere immodica, ceterisque similibus, prout pestiferis, enixe devitatis. Medicum,

H

ut

ut & omnes ægrotis invigilantes, ob effluvia immunda & contagiosa, linteum aceto, vel limoniorum succo madidum, in manibus semper tenere, & frequenter ad nares suas admoveere, præstaret. Medico quoque sedulo cavendum, ne jejunans ægrum invisat, aut in eodem cum illo lecto propius assidere audeat. Porro, vestes suas mutare, manusque lavare, priusquam ceteros suæ curæ commissos adire properaret, ne labem temerarius, vestibus arreptam, secum foras exportaret, morbumque contactu communicaret, si qua fieri potuit, omnino deceret.

Opusculo, qualecunque sit, ad umbilicum usque tandem perducto; fas nobis sit, legentibus errorum veniam iterum enixe supplicare. Priusquam vero calamum prorsus abjiciamus, amicis nostris semper colendis, animo gratissimo, observantissimoque, ad extremum spiritus vitalis halitum usque prosequendis, Richardo & Christophoro Musgrave armigeris; cum eorum erga patrem fratresque nostros, præsertim illum a me natu proximum adolescentulum vere præstantissimum & omnibus virtutibus ornatum, qui, juvenili gloriæ militaris ardore, heu nimis fatali! accensus, & armis, castrisque Britannicis in India Orientali tentatis, immatura morte præreptus, multumque deflendus occidit; tum amicitiam vere paternam, qua me privatim honorarunt, & ob beneficia multifaria quibus me prorsus illis devinxerunt, iterum quoque gratiæ debitæ sunt solvendæ. Eorum vero laudes, perinde ac meriti sunt, nedum famam altius evexisse, vires nostras longe exsuperaret. Qualis ea sit testatur

sum.

summa erga omnes, familiaritate aut consuetudine sibi conjunctos, ipsorum benevolentia; eandemque laudibus omnes accolæ continenter efferunt & concelebrant.

Neque de amico nostro dignissimo, Normanno Uniacke de Castletown, in comitatu Corcagiensi, armigero, nobis, alioquin ingratis futuris, omnino silendum: Viro insigni morum probitate & candore prædito, & nulli non, qui eo unquam familiariter usus est, summo loco semper habendo: Nobis vero, ob consuetudinem amicissimam, quam ille vir honorabilis, paterque meus charissimus, nunquam e fidei memoria delendus, abhinc quinquennio, pro dolor! inexorabili fato functus, erga sese mutuo, etiam a teneris annis, semper excoluerunt; at præcipue ob animum benevolum, quem erga nosmetipsos assidue gessit, gratiis summis atque perpetuis usquequaque prosequendo. Operæ ejus eximiæ, atque beneficiorum erga me præstitorum, nunc fide interposita, me, dum anima spirabo mea, memoriam gratissimam servaturum, polliceor.

Longe vero a nobis absit, uti Doctores Samuelem Evans, Gulielmum Barret, & Gulielmum Black, amicos quoque nostros & conterraneos, necnon in cursu medicinali, Edinburghi peracto, quondam sodales, de nobis bene meritos, semperque colendos, silentio prætereamus. Nunquam illis deerunt vota nostra vere benevola. Faxit Deus, ut in humani generis commodum, amicorumque suorum oblectamentum, diu feliciterque vivant, valeantque.

Pessime quidem faceremus, adeo ut vix, ac ne vix

fane condonandi effemus, si de Societate Medico-Physica in alma Academia Edinburgena, cujus conventus nos interfuisse, & frequentasse, olim meminisse maximo honori, & oblectamento erit, ingratis prorsus fileremus. Ut vigeat, floreatque: utque focii ejusdem omnes, & singuli, non solum promeritorum suorum donis accumulentur, verum etiam fœlicitate summa, eaque perpetua fruantur, dum vita duraverit, dum spiritus nostros regerit artus, in primariis votis erit.

Denique vero, Præceptoribus nostris, viris egregiis, omni scientia ornatis, at in Arte Apollinari vix æquandis; præcipue, Josepho Black, Gulielmo Cullen, & Alexandro Monro, cum ob fructus a prælectionibus horum perceptos, tum ob curam, quam de me nunquam non lubentissime susceperunt; gratias debitas referendi occasionem nobis oblatam congratulamur.

Supereft duntaxat uti jam a vobis, celeberrimi Medicinæ in Academia Lugdunensi Batava, cujus tanta per orbem fere universum adeo longum inclaruit fama, Professores atque excultores fœlicissimi, veniam errorum hujusce dissertatiunculæ calamo festinante, & juvenili conscriptæ, exoremus; saltem, ut istam, qualem qualem, æquo bonoque animo accipiatis enixe iterumque supplicandum.

F I N I S.

THESES.

I.

Causam febrium proximam systemati nervoso inhaerescere, probabile.

II.

Gravius equidem errant, qui febrium medelam auspicantes, sanguinis missionem indiscriminatum suadent.

III.

Hujusque faciei, quippe quæ in morbis ejusdem generis rarius omnino eadem esse deprehenditur, at potius varia, immo quandoque longe diversa in ipsissimis observatur, non temere, aut nimis fidendum.

IV.

Diacodiata non unquam, certe perrarius, invalescente diathesi phlogistica, in morbis febrilibus exhibenda.

Febris vulgatius puerperarum dicta, potius ad Synochi, quam Synocha genus, prout nos saltem autumamus, releganda.

V I.

Aer refrigeratorius, Potulenti gelidi, Cortex Peruvianus, & Vinum, utpote quæ viribus cardiacis, & antisepticis pollent, febrium putridarum curationi summopere adminiculantur.

V I I.

Resolutionem putridam, quam subit omne, quod ubique extat, animatum, atque inanimatum, haud aliunde, quam ex Aeris Mephitici, qui singulis partibus pro vinculo inest, evolutione, & avolatione nasci credendum.

V I I I.

Effectus, quos præstant Vesicatoria, salutiferos in plerisque morbis, ex vi quam exerunt, antispasmodica, magis quam stimulatrici, aut evacuatoria, maxima ex parte provenire verosimillimum.